N. 4678.

CURRENDA XVII et XVIII.

A. D. 1869.

„Ego sum via, veritas et vita.“

“Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae“, dicit Dominus.

Et quis debet magis sequi et conformis esse imagini Christi, quam nos Dilectissimi Fratres, qui Ejus ministri sumus?

Studete ergo semper et ubique, praecipue vero his tam perversis temporibus esse sanctos, ferventes pro gloria Dei, zelatores animarum, proficientes sapientia et gratia divina.

Ut autem cum hac gratia frunctum afferatis et sapientia divina magis ac magis in Vobis augeatur, offerimus Vobis Fratres Charissimi nonnullas Monitiones et Regulas vitae, ut in iis, tanquam in speculo Vos sedulo inspiciatis, et ut facilius agnoscere possitis, utrumquisque Vestrum Deo placeat, utrum proficiat, an deficiat.

Monitiones S. Caroli Boromaei

ad Clericos et Sacerdotes.

Venite filii et fratres in Christo dilectissimi, et audite, quae initio anni civilis sint Episcopi vestri preces, vota et desideria:

1. Primo, fratres et filii in Christo charissimi, memores perpetuo estote vocationis, qua vos dignatus est Dominus noster. Qua assidua recordatione memoriaque excitati, eam vos virtutem induite, ut videant alii, quasi lumen aliquod, vestram sanctitatem elucere, quæ major inesse debet in vobis, qui mysteriorum Dei ministri, divinaequae gratiae dispensatores estis. Coelestem in terris vitam, tanquam Angeli Dei, moribus vestris exprimere studete, ut a vobis divinarum virtutum exempla ceteris emanent.
2. Una animi consensione unoque spiritu in iis adlaborate, ut et divino cultui et coelestium rerum *meditationibus, et orationi et saerarum ecclesiasticarumque litterarum studiis vacetis, tum depositis saecularibus vanisque sollicitudinibus, ab omni vitio alieni, in via Domini recte ambuletis.*

3. Charitatem imprimis, quae seminarium est omnium virtutum, omni studio amplectimini. Humilitatem, mansuetudinem, patientiam, justitiam, temperantiam, et officia christianae pietatis reliqua colite. Quaecunquae demum sunt vera, pudica, sancta et religiosa, ea cogitatae, ea agite; et in Ecclesia quasi in perpetua vestra sacerdotali clericalique statione versamini.

4. Qui sacerdotes estis, Missae Sacrificium facite sancte, graviter et religiose. Ad illud faciendum parate vos omni pietate, in tam alti mysterii meditatione toto animo defixi, et quo purius id faciatis, propriam conscientiam diligenti examine discutite, tum singulis saltem hebdomadis, atquae adeo saepius, et omnino semper, cum peccati mortalis conscii estis, confiteamini. In ea sacrificii actione ab erroribus vel levissimis omnino cavete. Quae de illo pie et rite celebrando praescripta sunt, studiose diligenterque servate.

5. Sanctis precibus praeter cetera supplices, praesertim afflictis rei christianae temporibus, orate Patrem misericordiae et Deum totius consolationis; ut misereatur populi sui; ut fidelium animos ad vitia fugienda, ad virtutes amplectendas inflammet; ut e principum animis, si quae sint, evellat discordiae semina.

6. Quidquid vero temporis a divinis officiis, ab ecclesiasticis functionibus aliisque necessariis actionibus vacuum habetis: non in otio, neque in desidia, neque in rerum novarum curiositatibus illud conterite, sed cum in sortem Dei vocati sitis, in ejus lege die ac noctu meditamini. *Sanctarum litterarum studia diligentius colite,* quae usque adeo complecti debetis, ut, qui aspernetur, contra eum dicat Dominus: *quia tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*

7. Lectione librorum spiritualium et clericalium pascite animos mentesque vestras. At libros de rebus jocosis, ridiculis, obscoenis et inanibus procul abjicite. Quotidie aliquid ex ss. Bibliis legite; ac, si licet, aliquid ex ss. Patrum opusculis. Atque alios libros de sacerdotalis clericalisque vitiae rationibus et officiis, de animarum cura, de docendi munere, et de aliis ejusdem generis exercitationibus pie confectos legite; et quaecunque ad vitae sanctae normam accomodata sunt, animadvertite.

8. Habitu non exquisito, non delicato nimis; rursus non sordido, non neglecto, sed gravi et decenti tum domi, tum foris, pro uniuscujusque vestrum ordinis gradusque ratione utimini. In incessu, statu, gestu ita vos praebete, ut ab ordinis, quem suscepistis, nomine et ratione nullo sane modo discrepetis.

9. Parca et frugali mensa contenti sitis, et supellectili etiam modesta ac tenui potius. Ab omni splendido apparatu pompaque saeculari abstinete. In omni vita a fastu, luxu, ambitu, ambitioneve et a vanitate longe refugite.

10. Nec verbis quidem praescriptum vitae modum pervertite. Nihil scurriliter, nihil jocose, nihil indecore loquamini. Absint a vobis maledicta, obtrectationes, curiositas, levitas, assentationes, et nugae.

11. Temperantiae clericalis disciplinam vobis praescriptam in reliquis etiam omnibus tenete. Commessationes, compotationes, convivia publica evitate. Hospites excipite: at illis excipiendis intra parsimoniae fines vos continete, ita ut clericalis frugalitatis, non sumptuosi convivii testes illos habeatis.
12. Sensus vestros ita dirigite, ut, cum a Deo utiliter dati sint, tanquam rationis ministri, ne eos perperam adhibeatis sicut satellites cupiditatum. Sit igitur vester aspectus simplex et pudicus; aurium sensus castus et prudens; casta mens; casti omnes sensus; vita et morum consuetudo casta et spiritualis.
13. Saecularibus negotiis, ut est s. Pauli Apostoli documentum, ne vos implicate. Nemo potest servire Deo et mamonae, inquit Christus Dominus. Si qui pauperes estis, ne cupiatis divites fieri, ne incidatis in tentationes multas, et in laquaeum diaboli.
14. Qui vero uberiores ecclesiasticos redditus habetis, ecclesias, e quarum praediis fructus percipitis, praeclaro opere reficite, egregiisque muneribus exornate. Christi visceribus substantiam ecclesiasticam erogate: pauperibus scilicet, peregrinis, viduis, pupillis, aegrotis, quibus esurientibus et egentibus cum subvenire possitis, si alimenta necessaria denegatis, violatae charitatis rei estis in conspectu Domini.
15. Parochi praeterea et ceteri quicunque estis, etiam Praepositi, Archipresbyteri, aliive, qui curam animarum geritis, praeterea, quae vos cum reliquo Clero communia universe monuimus, illa etiam, quae praecipue de vobis decreta sunt, praestate omni sollicitudine.
16. Imprimis oves vobis concreditae cognoscendae sunt appellandae nominibus, pascendae et custodiendae. Parochiae vestrae incolarum vitam et mores investigate. Cognoscite publicos peccatores, corruptores aliorum, concubinarios, adulteros, usurarios, blasphemos, et alios, qui festis diebus non Deo, sed aleis, ludis, choreis serviunt. Illos omnes ab ea male agendi corruptela revocare ac deterrere, omni pietatis officio studete, tum Episcopo etiam, si opus fuerit, significate.
17. Rursus agnoscite etiam pauperes, viduas, pupillos, ceterosque aliena ope egentes, quibus et salutari consilio et consolatione et re subvenite, aut si minus potestis, cohortamine alios accendite ad eos sublevandos.
18. Pascite inprimis populum vobis commissum praedicatione verbi divini, salutaribus monitis, administratione item sacramentorum, exemplo et oratione. Pueros festis dominicisve diebus in doctrine rudimentis instruite, provectioris aetatis homines ad ea intelligenda invitate. Patres matresque familias monete, ut filios et filias, ceterosque domesticos ad statas doctrinae institutiones conducant.
19. Ne omittite, diebus sacris inter Missarum solemnia aliquid ex iis, quae in Missa leguntur, fidelibus exponere, et aliquando sanctiores illius sacramenti ceremoniarum rituumque rationes et significationes explicare.
20. Docete et monete, quomodo dies festi colendi et sanctificandi sint, ostendite indignissimum

esse sacris illis diebus non modo a nefariis operibus illicitisque negotiis non abstinere, verum religionis ac pietatis opera non praestare omni diligentia.

21. Monete sedulo ac frequentissime patres matresque familias, ut liberos et familiam suam ad pietatis christianarumque virtutum disciplinam religiose instituant, ut de vitae spiritualis ratione libros probatos domi suae habeant, in quorum lectione versentur.

22. Vitia inprimis et peccata, ad quae populum procliviorem esse animadverteritis, reprehendite et expugnate. Nec vero dissimulate peccata, sed annuntiate populo scelera ejus. Idque agite spiritu fortitudinis Domini, et ut strenui ejus milites, bonam militiam militate, nihil inde trepidantes.

23. Rursus non aucupandae hominum gratiae studio id agere desistite: *servus Dei non essem, si hominibus placerem*, ait Apostolus. Vae vobis tacentibus aut dissimulantibus, si grex curae vestrae commissus perierit: sanguinem ejus de manibus vestris requiret justus et omnipotens Deus.

24. Cetera autem officia, quae in sacramentorum administratione in assidua ad frequentem eorum usum cohortatione, in aegrorum cura, in aliis parochialis muneris functionibus vobis praescripta sunt, praestate atque exequimini accurate.

Ipse Deus et Pater noster et Dominus Jesus Christus dirigat vias vestras in omni sancta obedientia, exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono, ita ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, per omnia ei placentes; sicque sanctis vestrarum virtutum progressionibus probati, appareatis ante Deum et Patrem nostrum in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus. Amen.

Regulae vitae sacerdotalis.

Ut fructus exercitiorum spiritualium non deficiant, sequens exemplum ordinis diurni et regulae vitae mihi propono: Mature et hora determinata de lecto surgam, maturius adhuc diebus Dominicis et Festivis. Indutus preces matutinas recitabo et per quadrantem saltem horae meditationi vacabo, legens unam alteramve pagellam ex libro ascetico. — Missae secrificium devotissime celebrabo, cum praeparatione et gratiarum actione, hora fixa, et parochianis commoda. — Horas canonicas minores ante vel post Missam recitabo. — Tempus ante meridianum praecipue **frequentandae scholae, concionibus elaborandis et studio litterarum theologicarum dedicabo.** — Prandium frugale determinata hora cum oratione ante et post mensam. Paulo post Vesperae et Completorium, recreatio etiam honesta, puta conversatio sacerdote digna, deambulatio, rarius lusus quidam moderatus cum collegis meis. — Tempus pomeridianum etiam in faciliorem quandam lectionem, in visitationes necessarias, praecipue infirmorum, impendi potest. — Matutinum et Laudes proximi diei anticipabo. — Coena hora determinata

cum oratione ante et post mensam. — Preces vespertinas cum examine conscientiae nunquam ommittam, si fieri potest, in communi cum domesticis. — Spiritualis lectio (ex S. Scriptura, ex Patribus vel de vita Sanctorum) usque ad praefixam horam quietis nocturnae.

Sacerdos cum sim, imo et curator animarum, cum omni zelo munera sacerdotalia obibo. Praeter Missae sacrificium, quod sine gravissima causa nulla die intermittam, et praeter pensum Breviarii, quod singulis diebus integrum et devote persolvam, etiam confessionibus excipiendis diligentissime incumbam, et diebus saltem Dominicis et festivis primo mane, etiam non vocatus, sedem confessionalem occupabo, poenitentes exspectans. (Hoc etiam faciant, qui ad curam animarum specialiter non sunt deputati, nec propter litterarum studium, aut dignitatis cujusdam splendorem se exemtos ab hoc dulci onere portando censeant.) — Populum tum concionibus, tum piis confraternitatibus introducendis, ad frequentiorem confessionem exhortabor: etiam confessiones generales, quoties necesse est aut expedit, urgebo, aut libenter excipiam, saltem in vitam praeteritam poenitentis mihi ignoti et pristinarum confessionum valorem semper cum prudentia inquiram, praecipue apud aegrotos, quorum confessio forsitan ultima erit. In hunc finem Theologiae morali diligenter studebo, et opuscula quaedam, ut „Hominem apostolicum“ S. Alphonsi Liguorii, vel „Praxim confessarii“ auctore Zenner, legam relegamque. Officio gravissimo interrogandi et instruendi poenitentes nunquam deero, — Ad conciones singulis diebus Dominicis et festis habendas et ad catecheses diligenter me praeparabo, confessiones parvulorum singulari cura excipiam et primam parvulorum communionem cum aliqua solemnitate celebrabo.

Infirmos pro posse saepius visitabo et consolabor, moribundis assistere studebo, pauperibus et afflictis patrem et amicum me exhibebo. — Decorem domus Dei diligam, ordini et munditiei in omnibus, quae ad cultum divinum spectant, invigilabo. Paramenta sacra, linteamina, praecipue corporalia et pallas, frequenter lavari et reparari curabo, SS. Sacramenti summa attentione, venerationi vacabo. — Esse cum Jesu, dulcis sit mihi paradisus; hunc autem inveniam in ecclesia, quam saepe adibo oraturus, et domi, ubi libenter morabor, semper occupatus, nunquam otiosus. — Consortia profana, commessationes, et compotationes, oblectationes mundanas et lusus fugiam; et si cum hominibus conversari debeo, status mei sacerdotalis semper memor, in habitu, in sermone gravem, modestum, pudicum me exhibebo, praecipue in colloquiis cum altero sexu, quae semper brevia sint, nec nimis crebra et sine teste, etiam species vitetur mali. Juniores feminae et vanae comtae non ministrent mihi, et quae mihi aut parochianis offendiculo fuerint, cito dimittantur. Qui amat periculum, peribit in illo. Domus parochialis sit specula publicae disciplinae, visibile magisterium honestatis. Omnes familiares mei et domestici precibus matutinis et vespertinis in communi vacent, cultui divino devote intersint, saepius per annum confiteantur, et pietatem in omnibus praeseferant. Maledicta, imprecationes, rixae, detractiones, intemperantia, ebrietas, res obscoenae nullo modo tolerentur in domo sacerdotis. Hospitalitas exerceatur vere christiana, nec bona Ecclesiae, quae sunt patrimonium

pauperum, in lucrum saéculi, in locupletandos consanguineos et affines, in epulas impendantur, sed in subsidium fratrum egenorum, in fabricam ecclesiarum, in augmentum cultus divini. Sed nec avaritia et tenacitas in me reperiatur, nec tam de beneficiis pinguioribus aucupandis, quam de officiis implendis cogitabo. Qamvis, qui altari servit de altari vivat, tamen ab importunis rerum temporalium exactionibus et curis cavebo. Magnus quaestus est pietas cum sufficientia. Dominus regit me et nihil mihi deerit; in loco pascuae, ibi me collocavit. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

Ut spiritum boni pastoris semper in me conservem, et perficiam, ordinem praestitutum et vitae regulam non transgrediar, propono:

1. Singulis saltem mensibus confiteri et ante confessionem hanc regulam perlegere et confirmare;
2. singulis annis sacra exercitia instituere et confessionem annuam facere;
3: beatissimam Virginem filiali cultu venerari ejusque cultum propagare. — Servus Mariae non peribit.

Ipsa enim dicit: „ Qui me invenerit, inveniet vitam. Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.“

Optandum summopere, quatenus precatiunculam hanc pro Ecclesia quilibet Sacerdos horis canonicis quotidie adjungeret.

Oratio.

Tribue, quod supplices precamur, pro Tua immensa misericordia, Pater cœlestis! ut Ecclesia, quam per Filium Tuum unigenitum condidisti, unitate et concordia laetetur. Respice, quaesumus, pro Tua pietate dilecti Fili Tui, Redemtoris nostri, infinita merita et largire propitius christianis populis, ut idem sentiant, positisque dissidiis unanimes versentur in domo Tua. Congrega dispersas errantesque oviculas, easque reduc in Ecclasiae catholicae gremium, ut sit ovile unum in una eademque fidei confessione utque unius pastoris vocem omnes audiant et sequantur; quemadmodum constituit ad gloriam Nominis Tui, nostramque salutem supremus animarum nostrarum Pastor, Christus Jesus, princeps pacis et Deus verus, qui Tecum in unitate Spiritus Sancti vivit et regnat per omnia saecula sacculorum! Amen.

Casus liturgici.

1. Parochus in Ecclesia sua Altare quoddam ante chori gradus exstructum in alium locum transferendum curat, qua propter a vicino confratre reprehenditur. *Quaer.* Num jure? *Resp.* Affirmative; si sine consensu et auctoritate Episcopi translatio facta sit.

2. Sacrista quadam die absente Parocho advertit, aquam benedictam mox defecturam esse, quapropter residue benedictae aquam profanam addit, ut per paucos dies sufficiat. *Quaer.* Num licuerit? ***Resp.*** Affirmative; aqua tota facta est benedicta, nam quod dignius est, trahit ad se minus dignum; attamen juxta S. Thomam (*in 4 dist. 12. q. 1. art. 1.*) aqua non benedicta addenda minoris quantitatis esse debet. Poterit vero infusio aquae non benedictae iterari, dummodo minor quantitas addatur.

(*Laym. lib. 5. tract. 9. c. 15. de Sacram. ord.*)

3. Aspersio aquae benedictae post Missam solemnem non a Celebrante sed ab alio Capitulari facta est. *Quaer.* Num rite? *Resp.* Negative; nam aspersio aquae benedictae fieri debet a Celebrante.

(*S. R. C. 12. Nov. 1831.*)

4. Non pauci sacerdotes, Missa de Requiem celebrata, solent aspersionem aquae benedictae facere in Paramentis nigri coloris. *Quaer.* Num rite? ***Resp.*** Negative; in tali casu fieri debet aspersio, Paramentis nigris depositis, cum stola in colore Officii.

(*Cf. Cavalieri Tom. 4. c. 23. Decret. 2. c. in Ord. 370. n. 6.*)

5. Sacerdos in aspersione ante Missam solemnem Antiphonam „Asperges me“ intonat stans ante infimum Altaris gradum, deinde se ipsum aspergit et genuflexione facta procedit ad aspergendum populum. *Quaer.* Num rite? ***Resp.*** Negative; nam Antiphonam debet genuflexus super infimum Altaris gradum canere, deinde adhuc genuflexus Altare ter aspergere suumque frontem aspersorio madido signare et tum demum surgere ad aspergendum ministros et populum, ut clare patet ex Rubricis Missalis.

6. Sacerdos a quodam interrogatur, quem ad effectum aqua benedicta adhibeatur Defunctis. *Quaer.* Responsio? ***Resp.*** Aspergitur cadaver vel sepulchrum aqua benedicta ad expellendos daemones, ne defuncto illudant aut fidelium orationes impediant, et in symbolum desiderii nostri, quo defunctorum animas coelesti rore aspergi optamus, unde illis purgatori ardor mitigetur et omnino extinguatur; item ut anima defuncti praecum ecclesiae particeps fiat.

(*Cavalieri Tom. 3. c. 15. d. 48. c. in Ord. 160. n. 4.*)

7. Baptismus solemnis infantis cujusdam comitis per aliquot hebdomadas usque ad adventum nobilis Patrini longe distantis differtur; cum vero parvulus debilis esse videatur, parochus rogatur, ut eum statim domi baptizet sine consuetis caeremoniis et unctionibus, quod et factum est. Post Patrini adventum infans magna cum pompa in ecclesiam defertur et ab eodem parocho solemniter sub conditione iterum baptisatur. *Quaer.* Utrum bene an male se gesserit parochus? ***Resp.*** Parochum bene se gessisse domi baptisando sine ceremoniis et unctionibus juxta S. R. C. 23. Sept. 1820, sed male rebaptisando, quamquam sub conditione, atque ob baptismi iterationem probabilius irregularitatem incurrisse, cum prudens dubium esse non potuerit de valore prioris baptismi,

(*Cf. S. Alph. lib. 6. tract. 2. art. 2. n. 122.*)

8. Puella duorum annorum a parentibus vagis in hospitio relicta et a quodam cive educata scholam frequentat jamque pro confessione prima peragenda instruitur; parochus vero dubitat, an sit baptisata. *Quaer.* Quid faciendum? *Resp.* Puellam esse baptisandam sub conditione et secreto, si adsit **prudens** dubium, nec de illius baptismo desuper inquiri possit.

9. Parochus ad baptisandum infantem alicujus Nobilis vocatus invenit Patrinum acatholicum. *Quaer.* Quid faciendum? *Resp.* Si Acatholicus qua Patrinus recusari haud possit, parochus praeter istum adhibeat etiam Catholicum.
(Const. dioec. Ratisb. P. 1. c. 1. n. g.)

10. Infans recens natus, qui ante portam domus civis cujusdam divitis repertus est, a parocho absque conditione baptisatur. *Quaer.* Num bene egerit parochus? *Resp.* Negative, quia infans non est absolute baptisandus, nisi quando certitudo habetur, eum non fuisse baptisatum.

11. Parochus quidam infantes oppidanorum honoratiorum omnes in eorum domibus privatis baptisat. *Quaer.* Num peccet? *Resp.* Parochus iste baptisando infantes in aedibus privatis extra casum necessitatis vel tempus hyemnale sine expressa licentia Ordinariatus, (graviter) peccat, violat enim legem eccles. (in re gravi).
(Cf. Const. dioec. Ratisb. P. 1. c. 1. n. 7. et S. R. C. 23. Sept. 1820. In can. 19. et 31. Concil. Trullani poena depositionis in talem Clericum dercta est.)

12. Sacerdos baptisans profert formam post aquae affusionem. *Quaer.* An bene? *Resp.* Negative; peccat enim contra religionem, charitatem et justitiam, quia Sacramentum exponit periculo nullitatis, cum sit probabile, formam et materiam debere coëxistere physice quoad aliquam partem; baptismus vero sic collatus debet sub conditione repeti.
(S. Alph. lib. 6. tract. 1. dub. 2. n. 9.)

13. Parocho cuidam simul tres infantes baptisandi offeruntur, qui ut tempori parcat, dicit exorcismos et orationes super omnes in plurali, baptisat vero unumquemque more solito. *Quaer.* Num licite? *Resp.* Affirmative, si singulos infantes seperatim quoque ter exsuflat et signat, ad singulos adhibet porrectionem salis, tactum aurium et narium cum saliva, introductionem in Ecclesiam, abrenuntiationis interrogationem uti et fidei.
(Cf. Rit. Rom.)

14. Sacerdos benedictionem cum Sanctissimo dans, dicit voce submissae: „Benedicat vos omnipotens Deus &c.“, et si Pyxide pro Ostensorio utitur, data benedictione gyrum non perficit, sed eadem via ad cornu Epistolae se vertens Pyxidem in Tabernaculo reponit. *Qnaer.* Num rite? *Resp.* Negative in utroque casu; nam benedictio cum Sanctissimo danda est in silentio, et post illam gyrus semper perficiendus.
(S. R. C. 9. Febr. 1762. et 21. Mart. 1676.)

(Continuatio seq.)



Primariis muneris sacerdotalis officiis sine dubio oratio est adnumeranda, nam sacerdos sine oratione est miles sine armis.

Non solum oratio in genere, sed etiam in specie persolutio horarum canonicarum: quo officio unumquemque in majoribus ordinibus constitutum sub *mortali!* stringi, e Theologia morali sat superque est notum.

Concilium Lateranense sub *Innocentio III* celebratum inter alia jubet: Horas canonicas recita *studiose*, quoad officium oris, et *devote*, quoad officium cordis!

Ad excitandum hoc studium et ad nutriendam et fovendam in Vobis requisitam hanc devotionem subministramus Vobis in sequentibus 31 motiva, per omnes unius mensis dies distributa, ad legendum quotidie et meditandum.

Mitileni ex iisdem mirum quantum profecerunt— utinam et Vos ex iisdem proficeretis! ad laudem et gloriam Dei, ad solamen sanctae matris nostrae Ecclesiae, et ad cumulum meritorum felici aeternitate.

Motiva

I. Officium Divinum sive Breviarium est Oratio publica, continens Synopsim illius, quod in Scriptura sacra pulcherrimum, in Libris SS. Patrum notabilissimum, et in vita Sanctorum maxime est instructivum. Hoc Officium Divinum institutum est ab Ecclesia, ut Ecclesia militans quodammodo assimilaretur Ecclesiae triumphanti: quemadmodum enim Deus in Coelis honoratur, laudatur, et glorificatur a Choris Angelorum et Beatorum, qui in conspectu illius sunt ea cum reverentia et respectu, sicut infinitam ejus Majestatem decet: ita quoque in terris proportione servata honoratur, laudatur et glorificatur ab iis, quos specialiter ad hoc elegit; qui proinde pari cum puritate, sanctitate, reverentia, et attentione coram ipso esse debent; ut ita omnimode verum esse possit, quod dicit S. Bonaventura de sex alis Seraph. cap. 8. *Divinum Officium imitatio est coelestis concentus.* Debet namque haec imitatio esse non tantum vocalis et externa; sed etiam mentalis et interna; ut mente pura ac spiritu devoto Divinum persolvatur Officium, quemadmodum coelestis peragitur concentus. (Joann. IV. 23. et 24.) Et tunc tamquam *veri Adoratores* adorabimus *Patrem in spiritu et veritate*, sicuti *oportet adorare: et Divinum Officium* celebrabitur *studiose pariter et devote*; ut *districte* praecipit *in virtute obedientiae*, Innoc. III. et Conc. Later.

II. Quamquam omnes Christiani debeant incessanter laudare, benedicere, ac orare Deum corde, ore et opere, dicente Apostolo, 1. ad Thess. 5. v. 17. *Sine intermissione orate:* attamen ad snpplendam negligentiam et indignitatem plurimorum; et quia non omnibus id facere vacat ob occupationes temporales; idcirco Ecclesia deputavit aliquos tamquam Legatos totius populi, quorum praecipuum munus esset orare, benedicere, et glorificare Divinam Majestatem. Quanti non aestimanda est deputatio tam honorifica et praeclara? Quanta non est

adhibenda cura, ut condigne ac debite adimpleatur? Audiamus Chrysost. lib. de Sacerd. c. 3. *Qualem, quaeso, oportet esse eum, qui pro universo terrarum orbe Legatus intercedit, Deprecatorque est apud Deum, ut hominum omnium, non viventium modo, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat?* idque eo magis, quod non tantum ab Ecclesia, sed etiam a Deo ad hoc munus sint deputati et electi: *Vos elegit Deus, ut stetis coram eo; et ministretis illi, colatisque eum, et cremetis ei incensum,* 2. Paral. 29. *Incensum*, inquam, orationis ac laudis. Hoc autem incensum cremari non potest, nisi oratio proveniat ex corde, quod ardeat igne claritatis, et quod sit inflammatum desiderio divinae gloriae et sanctificationis propriae

III. Hasce personas ab Ecclesia deputatas, et ab ipsomet Jesu Christo electas Divinus Sponsus alloquitur, volens eis inspirare sanctum fervorem et spiritum verae devotionis: *Qui habitas in hortis*, ait, *amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Cant. 8. Quasi diceret: Vos, qui in Ecclesia mea, velut in horto plantati estis, eique devincti et adstricti estis modo prorsus peculiari ac favorabili; considerate et perpendite, quod amici mei, Angeli nimirum et Electi mei, auscultent, ac summopere attendant, quomodo fungamini Officio tam sancto, tam sublimi, tam eximio. Igitur *sonet vox tua in auribus meis,* Cant. 2. Vox laudis et gratiarum actionis: vox orationis et deprecationis, tam pro vobis, quam pro universa Ecclesia, cujus vox estis. Ecce! Divinus Sponsus tam liberaliter et suaviter nos invitat: numquid igitur convenit, ut cum ipso solo occupati simus, dum ipsum alloquimur et oramus; et dum ipse dignatur audire et auscultare tam benignis auribus orationes et deprecationes nostras? *Non est alia Natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster, adest cunctis obsecrationibus nostris,* Deut. 4.

IV. Vita praesens est velut Novitiatus vitae aeternae. Quanto non cum fervore Beati in Coelo prorumpunt in Cantica laudis, gratiarum actionis, et exultationis? Hoc est objectum nostrae spei: Hoc est Officium felicissimum, ad quod in aeternum admittendi sumus; si hac in vita discamus, bene facere id, quod sempiternae fiet in Coelo. Quam felices nosmet ipsos existimare debemus, dum legentes aut canentes Officium Divinum, jam modo, quantum hic possumus, facimus in terris; quod Beati tam perfecte faciunt in Coelis; atque ita expectamus et nos praeparamus ad supremam illam felicitatem fruendi eorum consortio, ab ibi Deum cum ipsis et instar ipsorum laudandum. Quodnam enim Officium in terris similius est Officio Angelorum in Coelis, quam cantare nocte dieque laudes Dei, eique assidue offerre vota populi? Quis status felicior? quod ministerium sanctius? quam privilegio singulari esse in terris Chorum Angelorum mortalium, qui vitam transigunt agendo immortales gratias Altissimo, eique per singulas horas offerendo *Sacrificium laudis,* quod ipsemet declarat sibi esse acceptissimum, *Immola Deo Sacrificium laudis, et redde altissimo vota tua.... Sacrificium laudis honorificabit me.* Ps. 49.

V. Ad tam sanctum et felix ministerium vocati sumus, et nos tam affectuose invitat Propheta Regius, *Ps. 94. Venite, adoremus et procidamus ante Deum.* Ecclesia nos

ad id obligat, et Beati invitant. *Statue Jesum ad dexteram tuam, et Mariam ad sinistram tuam, et omnes Sanctos in circuitu eorum: omnes fratres tui sint tibi tamquam Angeli Dei; et cum quibus nunc psallis in terris, spera etiam, te cantaturum in Coelis.* Th. a Kempis, lib. de Discipl. Claustr. c. 8. Quam augustum Consortium! quam sancta occupatio! Igitur cum maximo respectu interiori et exteriori nos ibi teneamus, precemurque Divinam Majestatem, ut dignetur voces nostras cum vocibus coelestium Spirituum exaudire: *Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur.* Velut Moses Exod. 17. Stamus *in vertice collis*, debemusque levare *manus* ad Coelum, ut precibus nostris *Israël* vincat in pugna contra *Amalec*; Si, ut *sedit* Moses, non sedeamus in lapide, id est, si non firmati simus in pietate: si negligenter Officio nostro fungamur; quid mirum! si *Josuë* periclitetur de victoria? Quid mirum! si Pastores Ecclesiae non faciant omnem, quem facerent fructum, si precibus nostris eos, ut oporteret, adjuvaremus? Verum sanguis fratrum nostrorum requiretur de nobis, et rei erimus cladium, quas potuissemus impedire.

VI. Time et erubesce coram Deo, si careas veneratione et devotione, quam habent Angeli in Coelis, et Animae devotae in terris. Considera, tot esse sanctos Presbyteros, Religiosos et Moniales, qui Officia Divina persolvunt corde devotissimo ac fervidissimo, et qui Psalmos recitant eodem affectu, quo plenus erat David, dicens: *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi*, Ps. 34. Affectus humilationis coram Deo, gemituum, gratiarum actionum, fervidissimarum precum, sanctae exultationis, continuae laudis, profundae admirationis infinitae magnitudinis divinae Majestatis, et similes, quibus abundant et pleni sunt Psalmi, intrant in corda et usque in medullas ossium tot devotarum personarum, dum fortasse cor tuum vacuum est omni affectu pietatis, et spiritus tuus ab eo prorsus est alienus: dumque forsan in te habet locum, quod dicit Pet. Bles. Serm. 12. de Vita, Moribus, et Off. Prael. et Cler. *Quandoque dum psallimus, facimus castella in animo, et imaginamur vanitates et insanias falsas: labia sunt in Canticis, animus in patinis.* Lege igitur ac canta Psalmos caeterasque Officii divini preces non *labis* tantum, sed et *animo:* observa monitum sancti Augustini in Ps. 30. *Si orat Psalmus, orate: si gemit, gemite: si gratulatur, gaudete: si sperat, sperate.*

VII. Affectus pietatis, quos Psalmi inspirant, et aliae voces laudum et precum, ex quibus Breviarium est compositum, tam familiares erant sancto Ignatio, ut saepe-saepius, dum aperiret Breviarium suum et diceret Orationem Dominicam, cor suum sentiret tanto affectum gaudio, ut statim prosequi nequiret, sed coactus esset, rogare Deum, ut dulcedinem suam temperaret. O quanti continentur gratiarum thesauri in devota Divini Officii recitatione! O quantum hae gratiae augentur per hanc recitationem saepius repetitam! O quantum perdimus et amittimus harum gratiarum per nostram negligentiam; quia non satis perpendimus et aestimamus magnitudinem et utilitatem talis functionis! Dicebat olim Salvator Nicodemo, Joannis 3. v. 8. *Spiritus, ubi vult, spirat.* Attamen spiritus ille nullibi tam saepe et tam abundanter

dulcedinem gratiae suae diffundit, quam in Templo Dei, ubi illi, qui devota Officium Divinum peragunt, *torrente voluptatis* ejus *potantur, et inebriantur ab ubertate domus* ejus. Ps. 35. Suavissimumque gratiarum ejus spiraculum sentientes et percipientes, cum maxima cordis voluptate *gustant, et vident, quoniam suavis est Dominus.* Ps. 33.

VIII. Officium Divinum et Cantus Ecclesiasticus adeo commovebant animum S. Augustini, tantaque cor illius teneritudine, laetitia, et consolatione perfundebant, ut lacrymas suas cohibere non posset: *Quantum flevi,* ait, *in Hymnis et Canticis tuis suave sonantis Ecclesiae vobiscum commotus acriter*: ad exemplum Davidis dicentis, *os meum aperui, et attraxi spiritum.* Ps. 118. Aperiebat cor suum, et attrahebat spiritum dulcedinis et consolationis inde exeuntem; quem quoque nos ipsi etiam attraheremus et reciperemus, si tanto et tam sancto muneri exequendo nos applicaremus ea, qua par est, attentione ac devotione cordis. Quam enormis, eheu, indignitas! pronuntiare eadem Cantica, et nihil invenire in eis, quod excitet, tangat, et consoletur: corde frigido ac glaciali proferre verba amore flagrantia: agere gratias Deo, et nil cogitare de ejus misericordiis: ipsum laudare et oblivisci: judicia, miracula, ac mandata ejus enarrare sine attentione: eum orare, et non desiderare id, quod petitur: deplorare caecitatem et vanam spem peccatorum; et *diligere vanitatem et quaerere mendacium!* Sacrificium cordis humiliati offerre corde duro et impoenitenti: cum Sanctis deflere mala, quae ipsi fecimus: orare pro Ecclesia, dum illam affligimus et dedecoramus. *Emendemus in melius, quae hactenus peccavimus:* renovemus attentionem, aperiamus cor nostrum, dicentes cum Propheta Regio: *Paratum cor meum Deus, cantabo et psallam.* Ps. 107.

IX. Cum divus Bernardus quadam vice juxta laudabilem consuetudinem suam interesset Officio nocturno in Choro, videbat, ut ait, adstantes singulis Religiosis singulos Angelos accurate annotantes modum, quo illi persolvebant Officium Divinum. Alii scribebant aureis litteris, nempe verba illorum, qui omni cum fervore et recta intentione animi Horas canebant. Alii argenteis, verba nimirum eorum, qui minori quidem cum fervore, pura tamen cum devotione canebant. Quidam scribebant atramento verba illorum, qui equidem cum perseveranti bona voluntate, attamen parva cum attentione cantabant. Illorum vero verba, qui seu ignavia torpentes, seu somnolentiā obruti, seu vanis cogitationibus distracti, ore tantum, et non corde canebant, scribebantur aqua. Demum nonnulli nihil scribebant, ad denotandum duritiem eorum, qui status et vocationis suae immemores, et timorem Domini prae oculis non habentes, se ultro somno dedebant; aut certe vigiles, ore clauso, non ex infirmitate, sed ex malitia, pravis et vanis omnino irretiti erant cogitationibus. (Speran., p. 7.) Ne dubites, quin Angelus tuus tutelaris annotet quoque dispositionem internam externamque, qua Divinum Officium peragis. Sedi quibus, amabo, litteris? aureis, aut argenteis? Forte (quod pessimum esset) nil boni scribendum invenit; dum Angelus malus scribendo totus occupatus est: quod recitans Officium tuum ante thronam Dei compareas cum Angelis; et quod interim Satan saepius quoque audeat se illic sistere, ad petendam a Domino punitionem irreverentiarum tum internarum, tum exter-

narum, quibus Divinum absolvitur Officium: *Cum venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino; affuit inter eos etiam Satan*, Job. 1,

X. Si in memoriam revoces hanc excellentiam Officii Divini, quod est essentiale Religioni cultuique divino, et nobilissima excellentissimaque in Ecclesia Dei post Sacrificium actio; inde ignaviam socordiamque tuam, et praeterea ingentem numerum peccatorum, de quibus tua te conscientia arguit: numquid admirabundus obstupescis, considerans, te indignum immerito, ineffabili Dei misericordia, associatum esse Angelis ipsis, ad cantandum laudes Dei? Quae humiliationis ratio! imo quantum gratitudinis motivum! *Non facit taliter omni Nationi.* Ps. 147. Agnosce et confitere, quod indignus omnino esses tam peculiari praedilectione, misericordia et beneficio. Igitur ut minimum bona tua voluntate ostende, te ingratum nolle esse Audi Prophetam Regium: ipse tibi dabit modum et exemplum, quae imiteris: *Quid retribuam*, ait, *Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?* Et respondet: *O Domine! .... tibi sacrificabo Hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.* Ps. 115. Et iterum alio loco dicit: *Misericordias Domini in aeternum cantabo.* Ps. 88.

XI. Si sincera cum gratitudine perpendemus infinitam illam Dei misericordiam, qua nos prae tot aliis minus indignis elegit et vocavit ad munus tam altum et augustum; gauderemus utique gaudio magno, dum appropinquant tempus et hora, Officia Divina celebrandi. diceremusque cum Psalmista: *Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* Ps. 121. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine, virtutum! Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.* Ps. 83. Sane consideraremus, quod nullo modo mereamur tale ac tantum beneficium: obstupesceremus et summopere admiraremur divinam erga nos misericordiam ac bonitatem dicentes cum eodem: *Suscitans a terra inopem et de stercore erigens pauperem*, ut *collocet eum cum Principibus populi sui.* Ps. 112. Et hac in consideratione, quanto cum humilitatis ac gratitudinis affectu accederemus ad laudandum Nomen Dei sanctum, oraremus Angelos ad supplendum defectus Nostros, et invitaremus creaturas omnes ad benedicendum divinae Majestati nobiscum! id quidem facimus, dum dicimus: *Laudate eum omnes Angeli ejus .... Laudate eum Sol et Luna &c.* Ps. 148. *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Dan. 3. *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus Nomen ejus in ipsum.* Ps. 33. &c. Id, inquam, tunc facimus: sed eheu! quam parva, imo vero nulla cum attentione!

XII. Vix, aut ne vix quidem, ullum est in Psalmis caeterisque Divini Officii partibus verbum, quod non sit aptum ad nobis inspirandum affectus amoris Dei, modumque nobis suggerendum, quo illum colere debemus; ut digni efficiamur illum laudare et glorificare modo perfectiori cum Angelis et Beatis, qui illum in Coelis laudant ineffabili cum gratiarum actione, satagamus habere affectus illos: applicemus nobis, quae legimus: ne *jota unum aut unus apex* praetereat: discamus, bene facere in hac vita, quod speramus aeternum facere in altera. *Quae lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernae Civitatis quanta sint gau-*

dia: Angelorum Choris interesse, cum beatissimis Spiritibus gloriae Conditoris assistere? S. Greg. Hom. 37. in Evang. *Consideremus* profecto, *quae et quanta sunt, quae nobis promittuntur in Coelis.* Ibid. Agamus pro viribus, ut optima cum intentione, et maxima cum attentione muneri nostro satisfaciamus, ut ad tantam felicitatem pertingere valeamus. Verum, Inquis, id tam facile et sine labore fieri nequit: sed audi eundem S. Gregorium loc. cit. *Ad magna premia perveniri non potest, nisi per magnos labores.*

XIII. Cogita, quanta cum molestia, quantoque cum sudore miser Operarius laboret, et sese fatiget, portans pondus diei et aestus, ad lucrandum salarium suum diurnum; victumque tenuem quaerendum: dum tu interea commodius vivis, benignaque Mater Ecclesia abunde tibi de necessariis prospicit; sane ideo, ut totus pro ea occuperis et pro spirituali ejus emolumento. Tu es Operarius Ecclesiae, quae fidelitati tuae grationibusque tuis confidit: tuum est satagere rernm illius, et procurare negotia, quae pertractanda habet cum divina Majestate, dicente Apostolo, 2. Cor. 5. v. 20. *Legatione fungimur:* dum interim alii aliis omnimo negotiis et curis implicantur. Audiamus sanctum Bernardum ita loquentem: *Sudant Agricolae, putant et fodiunt Vinitores, Negotiatores circumeunt mare, et aridam. Quid Fabros, aut Caementarios, caeterosque ejusmodi Operarios necesse est numerare? victum sibi multo labore quaerunt: illi* (nempe Clerici) *madent deliciis, copiis affluunt otiosi.* O amara, sed tamen justa exprobratorio! heu quanta in judicio Dei erit confusio et ignominia illis, qui ab Ecclesia ad laudandum, orandum, et benedicendum Delegati, munere suo funguntur cum negligentia et torpore!

(Continuatio seq.)

Nr. 4527.

De susceptione presbyterorum e ditione Russica ad Dioeceses Galiciae.

A 5 ultimis annis, quibus dura persecutio in Polonia aliisque provinciis sceptro Russico subjectis multos sacerdotes exulare coegit, non pauci ex illis refugium quaerentes, petierunt tum ab ordinariatu hujate tum ab aliis ordinariatibus, ut in cura animarum applicari et clero Dioecesano adnumerari possint. Cum vero definitivæ in Dioecesim susceptioni obstaret defectus demissionis canonicae, quam a respectivis Ordinariis exules sacerdotes impetrare minime poterant, quia Episcopis, sub dominatione Russica existentibus severrime prohibetur ejusmodi demissorias extradere, Excellentissimus Archiepiscopus Leopolitanus ad consulendum infelici sorti horum sacerdotum, Sedi apostolicae supplicavit, ut ipsi benigue facultatem impertiri dignetur, eos ex regno Poloniae aliisque Provinciis russicis advenos presbyteros, qui per aliquot tempus in cura animarum applicati laudabilia respectu morum, pietatis et scientiae specimina dederunt, definitive in sua Archidioecesi adscribendi, non obstante litterarum canonicae dimissionis a respectivis Ordinariis defectu.

Die 23 Augusti 1869 SSmus Dominus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii S. Congregat. Cenalii, attentisque peculiaribus circumstantiis, petitam facultatem Archiepiscopo

Leopol., Oratori benigue impertitus est suscipiendi idoneos ac probatos ecclesiasticos viros, eosque adscribendi Clero Dioecesis ad tempus tantum, ita ut reverti debeant ad respectivas Dioeceses, quum ab Ordinariis fuerint requisiti.

P. Card. Caterini Praef. P. Archieppus Sardicensis Secretar.

Haec pro informatione et notitia respectivis Presbyteris communicantur.

Tarnoviae die 16. Decembris 1869.

Nr. 245.

Administratores beneficiorum supra Congruam dotatorum missae fundatas erga Stipendium Inventariale absolvere tenentur.

Saepe obvenit casus, beneficium supra congruam dotatum, cujus temporalia publice elocantur, missis fundationalibus esse oneratum, pecuniam vero ex elocatione temporalium evictam ad cassas c. r. pro fundo intercalari deportari. Juxta supremum ces. reg. decretum ex 3 Octobris 1858 et ordinationem alti ministerii cultus ex 15 Octobris 1858 N. 1282 communicatum Consistorio Nostro ab alta c. r. Commissione Locumtenentiali Cracoviensi ex 7. Jan. 1867 N. 32772 administratores in spiritualibus suorum beneficiorum missas fundationales absolvere tenentur, pro absolutione tamen fundatarum missarum possunt expetere stipendium in Inventario statutum, si illud ad redditus beneficii computatum est, verba originalia sonant: „gegen das festgesetzte im Inventar zum Pfarreinkommen einbezogene Stipendium der Stiftungsmessen.“ Altum hoc decretum pro notitia et usu Venerabili Clero notificatur.

Tarnoviae die 30. Decembris 1869.

Mutationes inter Vener. Clerum.

Continuatio ad Curr. XVI. ex a. 1869. pag. 127.

11. Novemb. 1869. N. 4010. R. Joseph. **Haustecki,** p. recoll. desig. ad Conv. PP. Reformator. in Zakliczyn.

1. Decemb. 1869. N. 4298. R. Joan. **Komperda** jun., Coop. transl. e Zdzarzec ad Lipowa

3. dtto N. 4464. R. Constan. **Pragłowski,** Coop. translat. e Wojnicz ad Wieliczka.

15. dtto N. 4552. R. Georg. **Dyczek,** Coop. e Biała const. Coop. Expos. in Wilkowice.

dtto dtto R. Victor. **Zareczny,** Coop. transl. e Wieliczka ad Biała.

17. dtto N. 4580. R. Sebastianus **Balcarczyk,** Coop. translatus e Przecław ad Baranów.

dtto dtto R. Adalb. **Roszek,** Coop. transl. e Chełm ad Bochnia.

21. dtto dtto R. Adalbertus **Konieczny,** Coop. translatus e Rajcza ad Wieliczka.

29. dtto dtto R. Bartholom. **Unger,** Coop. e Rychwałd ad Rajcza.

N. 4261, 4537, 4552.

Piis ad aram precibus commendantur animae:

p. m. Antonii Josephi Manasterski,

Illustr. ac Rev. Episcopi r. l. Premisliensis,

qui affectae suae valetudini minime parcens die 13. Novembr. 1869. ad S. Consilium Vaticanum profectus fuerat, ac Romae die 17. Decembris c. a. hora 8. vespertina SS. moribundorum Sacramentis provisus, 66 aetatis et 7 episcopatus Suae anno de hac statione vitae temporalis avocatus est.

p. m. Relig. Alexandri Antonii **Czopek**, Prioris et Parochi Conventus PP. Cisterciensium in Szczyrzyce, Consiliarii Consistorialis ad honores, qui anno aetatis 53, sacerdotii vero 23, Sacramentis moribundorum provisus, Cracoviae apud Fratres Misericordiae, ubi valetudinis curandae gratia commorabatur die 9. Novembris 1869. in Domino obdormivit;

p. m. Relig. Victorini **Bitzan**, emeriti Prioris Szczyrzycensis, Consiliarii Consist. ad honor., qui anno aetatis suae 77, sacerdotii vero 50, SS. Sacramentis provisus in monasterio Altovadensi in Bochaemia die 22. Novembris 1869. in Domino obdormivit;

p. m. Andreae **Mroszczakiewicz**, Coop. Expos. in Wilkowice, qui anno aetatis 66, sacerdotii vero 37, rite Sacramentis morib. provisus die 9. Decembris 1869. in Domino obiit.

p. m. Joannis **Jaworski**, alumni Semin. Dioec. qui anno aetatis 20, Sacramentis morib. provisus die 14. Decemb. 1869. hora 5 1/2 antemeridiana in Domino obiit.

☞ Commemoratur, quod ex variis a Nobis non dependentibus causis haec jam ultima pro anno 1869 mittitur Currenda.

Promittimus vero in futurum supplere restantias compensantes eas parvusculo pro posse dono, quod in Natalitia Christi offertur.

E Consistorio Episcopali,

Tarnoviae die 30. Decembris 1869.

Ex mandato Illustrissimi ac Rever. Praesulis

Franciscus Ser. Szlosarczyk,
Officialis ac Vicarius generalis.

CYPRIANUS NETUSCHILL,
Cancellarius.

Tarnoviae, 1869. Typis Anastasii Rusinowski, Typographi Episcopalis. Impensis Consistorii.

Index

rerum in Currendis ex anno 1869. contentarum.

Tarnoviae 1870. Typis A. Rusinowski, Typographi Episcopalis. Impensis Consistorii.